

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Caritas 1  
cum fonte primo

Tunc ad alta caritas mirabiliter surgit,  
cum ad yma proximorum se misericorditer attrahit;  
et quo benigne descendit ad infima,  
ualenter recurrit ad summa.

Gregorius in pastorali.

Hinc ipsa Veritas per susceptionem  
nobis nostrae humanitatis ostensa,  
in monte orationi inhaeret,  
miracula in urbibus exercet;  
imitationis uidelicet uiam bonis rectoribus sternens;  
ut etsi iam summa contemplando appetunt,  
necessitatibus tamen infirmantium  
compatiendo misceantur, quia  
tunc ad alta caritas mirabiliter surgit,  
cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit;  
et quo benigne descendit ad infima,  
ualenter recurrit ad summa.

Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, 2.5 (SC 381,  
F. Rommel ed., p.200, ll.54-62).